

STUDIA VARIA

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS HUCUSQUE APPROBATIS (aa. 1947-1956) (*)

I. INSTITUTA SAECULARIA IURIS PONTIFICII

A. INSTITUTA SAECULARIA DEFINITIVE APPROBATA

1. SOCIETAS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS ET OPUS DEI (SOCIEDAD SACERDOTAL DE LA SANTA CRUZ Y OPUS DEI)

Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei a Rev.do D. JOSEPHO MARIA ESCRIVÁ DE BALAGUER in dioecesi matritensi originem habuit, die 2 mensis octobris an. 1928.

Per plures annos (1928-1940) *Opus Dei* (ita compendiose nominatur) ut Pia consociatio benevolentia ac benedictione Ecclesiasticae Auctoritatis extitit. Post diuturnas moras longasque probationes *Opus Dei* succrevit et solidatum est. Accesserunt tandem ecclesiasticae recognitiones. Die 19 martii an. 1941 Episcopus matritensis ad formam Piae Unionis *Opus Dei* redegit, pauloque post, S. Sede ad normam iuris consulta (cc. 674, 492, § 1), Ipsiusque venia die 11 octobris an. 1943 obtenta, Ordinarius matritensis *Opus Dei* in Societatem vitae communis sine votis publicis iuris dioecesani, die 8 decembris eiusdem anni formaliter erexit. Subsequentibus annis, cum tam domus quam socii in dies multiplicarentur, non sine magno animarum fructu, haud immerito visum est tempus advenisse implorandi a S. Sede primam *Operis Dei* pontificiam approbationem.

Dum *Opus Dei* has supplices S. Sedi preces exhibebat, ut qua Societas vitae communis sine votis publicis Laudis Decretum impetraret, Const. Apost. « Provida Mater Ecclesia » iam parabatur. Ad huius documenti lumen Institutum *Opus Dei* eiusque Constitutiones attente in S. C. de Religiosis recognita sunt, intimaque horum ratione perspecta, clare patuit *Opus Dei* prae se ferre exemplar sinceri ac germani Instituti saecularis ab ipsa Constitutione Apostolica propositi. Hinc, in ulteriore ipsius *Operis Dei* examine ac discussione procedendi norma servata est, quae in Const. « Provida M. E. » (art. VII § 3) pro Institutum sae-

cularium approbatione praescribitur. Habito ergo, favorabili suffragio tam specialis Commissionis Consultorum pro Institutis saecularibus quam Congressus pleni S. C. de Religiosis, Summus Pontifex, in Audientia diei 24 mensis februarii a. 1947, *Opus Dei* Institutum saeculare declaravit atque constituit et amplissimis verbis laudavit et confirmavit. Tandem, die 16 iulii an. 1950, *Opus Dei* approbatione perpetua et definitiva decoratum est.

Ex Instituti membris, quae iam obiere, memoria dignus est ISIDORUS ZORZANO (n. 13 sept. 1902, m. 15 iul. 1943), viarum ferratarum Hispaniae architectus, qui fama sanctitatis claruit et cuius Beatificationis causa coepta est.

Opus Dei duplici separata sectione constat, virorum (sacerdotum et laicorum) et mulierum, sub unico Superiore Generali. Utraque ex his duabus sectionibus propria, ideoque prorsus seiuncta hierarchia, in singulis regiminis gradibus, utitur.

Sectio feminea *Operis Dei* orta est die 14 februarii an. 1930.

Specificus finis Instituti est totis viribus adlaborare ut classis quae dicitur intellectualis, quaeque vel ob doctrinam qua pollet, vel ob munera quae exercet, vel ob dignitatem qua insignitur, est moderatrix societatis civilis, Christi Domini praeceptis adhaereat, ipsaque in praxim deducat et inter omnes classes civilis societatis vitam perfectionis in saeculo fovere et diffundere, atque viros ac mulieres informare ad apostolatam in saeculo exercendum.

BIBLIOGRAPHIA: *CpR.*, vol. XXXIV (1955), pagg. 193-194.

2. INSTITUTUM TERESIANUM (INSTITUCION TERESIANA)

Servus Dei Rev.mus P. PETRUS POVEDA CASTROVERDE, natus die 3 decembris a. 1874, in civitate Linares (Hispania), vir probitate, scientia et zelo conspicuus, et in odium fidei, uti creditur, occisus die 28 iulii a. 1936, an. 1911, tempore quo rei publicae moderatores institutionem religiosam insectabantur, Instituti Teresiani fundamenta iecit, « ad finem potissimum promovendi, ne publicas Hispaniae scholas celebrantes puellae, a veritatis semita deflecterent, sed recte, iuxta Ecclesiae Sanctae praecepta, instituerentur ».

Institutum Teresianum iam ab ipsius primordiis communi Episcoporum plausu receptum, utpote nostrae tempestatis peculiaribus necessitatibus providendis maxime idoneum, et per varias Hispaniae dioeceses diffusum, primam ecclesiasticam approbationem assequabatur ab Ordinario

(*) Cfr. *CpR.*, vol. XXXV (1956), pag. 349-352.

Giennensi (Jaén) a. 1917; et adeo numero centrorum, sodalium et operum multiplicatum paucis annis fuit, ut per Breve Pii P. XI, diei 11 ianuarii a. 1924, « Inter frugiferas », laudibus cummulatum et in perpetuum approbatum fuerit tamquam Pia Unio Primaria, cum omnibus iuribus et privilegiis quae huius generis Associationibus ad normam iuris competunt; quae iura et privilegia pluribus ecclesiasticis posterioris temporis documentis confirmata atque ampliata fuere. Denique die 20 ianuarii a. 1947 definitiva approbatione Statuta Piae Unionis decorabantur a S. C. Concilii.

Post paucos ab hac approbatione dies charta magna Institutorum saecularium, Const. Apost. « Provida M. E. », promulgabatur.

Huius documenti causa et aliorum quae subsequenti anno 1948 Instituta saecularia respicientium prodire, *Institutum Teresianum*, a. 1950, Congressum Generalem Romae coadunavit; qui, omnibus mature perpensis, decrevit preces et vota S. C. de Religiosis porrigere ut Pia Unio *Instituti Teresiani* ad gradum et formam Instituti saecularis evehere dignaretur, utpote magis respondens naturae, organizationi et vinculis quae in Pia Unione contrahebantur.

S. C. de Religiosis, omnibus ad rem pertinentibus attente consideratis, preces Directricis Generalis *Instituti Teresiani* benigne accipere decrevit. Cum vero Pia Unio per varias mundi plagas diffusa esset, domorum et sociarum numero valde floreret, cumque iam approbatione Apostolicae Sedis definitiva decoraretur, S. C. de Religiosis, de re bene conscia, Piam Unionem Ss.mo praesentare opportunum censuit, pro eius elevatione ad gradum Instituti saecularis et pro definitiva ipsius approbatione, et Summus Pontifex, in Audientia diei 9 aprilis a. 1951, approbare dignatus est. Deinde S. C. de Religiosis, die 21 iunii eiusdem anni, edixit decretum quo Piae Unioni « *Institutum Teresianum* » appellatae, naturam contulit Instituti saecularis ipsumque Institutum sub eodem titulo definitive et in perpetuum approbavit.

Finis specialis quem sodalibus Instituti veneratus Fundator praefixit, fuit exercitium caritatis in christiana puellarum institutione et educatione procuranda, non tantum in privatis, sed etiam in publicis scholis. Ad huius autem nobilissimi finis assecutionem, nullam prorsus limitationem illis imposuit, adeo ut tum ratione personarum ac locorum, tum ratione mediorum adhibendorum, tum denique gradus instructionis quibus Instituti sociae incumbere debent, vere universalis dici potest.

BIBLIOGRAPHIA: *CpR.*, vol. XXXIV (1955), pag. 196-197.

3. SOCIETAS SACERDOTUM OPERARIORUM DIOECESANORUM CORDIS JESU (HERMANDAD DE SACERDOTES OPERARIOS DIOCESANOS DEL CORAZON DE JESUS)

Societas Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Jesu a S. D. EMMANUELE DOMINGO Y SOL (n. 1 aprilis a. 1836, m. 25 ianuarii a. 1909) fundata in dioecesi Dertosensi, in Hispania, anno 1883 initium habuit. Utilitas et efficacia Societatis comprobata, die 2 februarii insequentis anni 1884, Antistes Dertosensis canonica in Piam Unionem erectione Sodalitatem onestavit.

Membra Societatis finem suum prosequerentur solo vinculo caritatis, sub directione tamen Superiorum, inter se unita. Praeter castitatem, quam vi sacrae ordinationis profitebantur, obedientiae votum a sodalibus emittebatur, prius ad triennium, postea quodammodo indefinito tempore observandum. Paupertatis evangelicae quamdam formam absque speciali vinculo in vita communi familiae more ducta, ad normam Constitutionum observabant.

Cum ergo Pia Sodalitas ad Instituta votorum simplicium proxime accedere videretur, a S. Sede, die 18 iulii a. 1898 *Decretum Laudis* amplissimis verbis conceptum obtinuit, dilata approbatione Constitutionum ad opportunius tempus. Post promulgationem Codicis I. C., qui titulum specialem parti de Religiosis adiunxit pro Societatibus vitam religiosam imitantibus, licet non sint stricte relligiosae, Superiores Societatis S. Sedi preces exhibuerunt ad obtinendam specialem approbationem Instituti et Constitutionum cum caractere Societatis vitae communis sine votis, utpote ideae primaevae conformioris. S. C. de Religiosis in plenario Coetu diei 15 iulii a. 1927 favorable in re emisit suffragium. Summus vero Pontifex in Audientia diei 1 augusti eiusdem anni benigne annuit pro gratia approbationis Sodalitatis cum caractere Societatis vitae communis sine votis.

Attamen, tum pii Conditoris mens, tum condicio saecularis sodalium et Societatis finis, formam exigere vedebantur diversam adhuc a prescriptis Tit. XVII, P. II, C.I.C.; quam quidem valde auspicatam formam in Const. Apost. « Provida M. E. » advenisse plerique e sodalibus sponte cogitarunt. Quare ad publicationem praelaudatae Const. Apost. in Pii Operariis desiderium excitatum est Institutorum saecularium formam adoptandi, quae magis consona eorum fini et spiritui apparet.

Tunc Procurator Generalis Societatis haec vota S. C. de Religiosis obtulit, quae, omnibus mature perpensis, preces Rev.mi Procuratoris be-

nigne recepit. Cum vero Societas iam Apostolicae Sedis definitiva approbatione, sive ipsius Societatis sive Constitutionum decoraretur, S. C. de Religiosis, dispensatis praescriptis circa modum procedendi in Const. Apost. « Provida M. E. », Societatem Summo Pontifici praesentare opportunum censuit pro eiusdem transformatione in Institutum saeculare et pro definitiva ipsius Instituti approbatione, quae Summus Pontifex in Audientia diei 19 martii a. 1952 *Societati Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Jesu* naturam contulit Instituti saecularis, eamque definitive et perpetuo approbavit.

Scopus specificus a ven. Fundatori Instituto praefixus est ut eius socii omnes vires suas impendant in fovendis et excolendis sacerdotalibus, religiosis et apostolicis vocationibus, speciatim directione seminariorum dioecesanorum. Cui fini praecipuo alium adiunxit secundo loco prosequendum, videlicet spiritum pietatis in adolescentibus fovere. Prosecutio autem horum nobilium propositorum semper et ubique procuranda erat animo ad reparationem seu expiationem erga S. Cor Jesu intento, praesertim in Sanctissimo Altaris Sacramento; cuius devotio omnibus viribus ab eis etiam propaganda est; et haec veluti tertium finem specificum Instituti constituunt.

BIBLIOGRAPHIA: *CpR.*, vol. XXXIV (1955), pag. 195.

4. SOCIETAS CORDIS JESU (*SOCIÉTÉ DU COEUR DE JÉSUS*)

Societas Cordis Jesu pro sacerdotibus saecularibus, Parisiis in sacello Montis Martyrum a S.D. P. PETRO DE CLORIVIÈRE (n. 29 iunii a. 1735, m. 9 ianuarii a. 1820), sacerdote ex-professo extinctae tunc Societatis Jesu, condita est die 2 februarii a. 1791, ut illi sacerdotes beneficiorum vitae religiosae tunc Galliae fere destructae participes fierent, quin servitium dioecesis desererent.

Initia Societatis baptismo sanguinis conspersa et solidata sunt. Die enim 2 septembris a. 1792 duo ex primis decem membris, quibus Societas constituta erat, martyrii palma coronati sunt: B. GABRIEL DESPREZ et B. LUDDOVICUS J. M. LANIER, qui solenniter Beati renuntiati sunt die 17 octobris a. 1926. Similiter M. CORMEAUX die 9 iulii a. 1794 capite plexus est.

Societas, sanguine martyrum fecundata, celeriter crevit et diffusa est, non tantum in Galliae dioecesibus, sed etiam Germaniae et Angliae, probantibus prius Episcopis et postea S. P. Pio VII, aa. 1801 et 1804.

Ob diversas causas, praesertim longam Fundatoris captivitatem, munus sibi demandatum restituendi in Gallia Societatem Jesu, mortem ipsius Fundatoris, paulatim organizatio *Societatis Cordis Jesu* decrevit et non ultra a. 1840 supervixit.

Post 80 fere annos Societas excitata fuit a parcho parisiensi DANIEL FONTAINE (n. 1862, m. 10 novembris 1919), qui ipsam in omnibus secundum mentem Fundatoris restituit die 29 octobris a. 1918 in eodem sacello Montis Martyrum ubi P. Glorivière olim fundamenta Societatis iecerat. Iam anno insequenti, mense maio 1919, scriptam a S. P. Benedicto XV obtinuit approbationem quam Pius XI a. 1925 confirmavit. Mirifice mox Societas effloruit in Gallia, Belgio, Italia et Helvetia.

Anno 1947 Director Generalis Societatis Romae se contulit ad impetrandam a S. Sede approbationem tum Societatis quam Constitutionum, paulo post promulgationem Const. Apost. « Provida M. E. » de Institutis saecularibus. Examini igitur Societatis instituto, ad normam huius novissimi documenti, visum est Societatem induere imaginem perfectam Instituti saecularis. Quapropter S. C. de Religiosis, singulis ad rem facientibus collectis, ex Audientia SS.mi diei 10 decembris a. 1951, *Societati Cordis Jesu* naturam contulit Instituti saecularis ipsamque definitive et in perpetuum approbavit decreto diei 2 februarii a. 1952.

Scopus Societatis Cordis Jesu est praxis evangelicae perfectionis in saeculo ad instar Apostolorum et eorum discipulorum in primis Ecclesiae temporibus; ita ut sacerdotes saeculares seu dioecesani plenius respondeant exigentiis sanctitatis ex ipso sacerdotio promanantibus et eorum apostolicum ministerium efficacius reddatur et facilius accommodatio variis locorum et animarum necessitatibus. In hunc finem sacerdotes Societatis votis adstringuntur paupertatis, castitatis et obedientiae. Manent tamen propriis dioecesibus incardinati cum iisdem obligationibus ac ceteri sacerdotes dioecesani et quod attinet ad ministerium ab Ordinario loci plene dependent; quod vero ad vitam spiritualem a Superioribus Societatis instituuntur et diriguntur.

BIBLIOGRAPHIA: *CpR.*, vol. XXXV (1956), pag. 276-277.

5. MISSIONARIAE REGALITATIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (*MISSIONARIE DELLA REGALITÀ DI N.S. GESÙ CRISTO*)

Anno Domini 1919, die 17 novembris, duodecim virgines Tertio Ordini S. Francisci adscriptae, in chorulo qui dicitur beatae Clarae apud Assisiensem Sancti Damiani Ecclesiam, vitam suam Deo devoverunt et

apostolatui exercendo, praesertim in Actione Catholica illisque vivendi formis quibus Regnum Dei his nostris temporibus promoveri atque augeri possit, se dicaturas promiserunt.

Dux et veluti anima huius virginum coetus censendus est Rev. mus P. AUGUSTINUS GEMELLI, O.F.M., simul cum pia femina ARMIDA BARELLI (n. 1 decembris a. 1882, m. 15 augusti a. 1952). Uterque iam ab aliquot annis, spiritu Dei ductus, idesinenter atque alacriter operibus maximi momenti in vita catholica Italiae operam dabat.

Parva Societas paulatim per aliquot annos crevit ac si sodalitas tantum mulierum Terti Ordinis S. Francisci esset.

Pius XI Societati tunc nascenti verbo, consilio, patrocinio adfuit, viaeque vocis oraculo eam probatam habuit sodalibusque suasit ut per omnes Italiae regiones proficiscerentur. Ita brevi temporis intervallo parvus ille manipulus, quasi exercitus factus, in omnibus fere dioecesibus, Ex. mis Episcopis benedictibus, est constitutus.

Difficultatibus non paucis superatis, die 9 augusti a. 1945, S. Concilii Congregatio Statuta Societatis ad normam eorum quae in C.I.C. pro Pii Associationibus fidelium praescribuntur exarata, per experimentum ad quinquennium approbavit.

Cum biennio post Const. Apost. « Provida M. E. » prodierit, Societas Regalitis, non absque fundamento autumavit constitutionem Institutum saecularium ipsi convenire. Quare opportunas preces in hunc finem S. C. de Religiosis porrexit. Cum autem in omnibus suis notis *Institutum Missionarum Regalitis* qua verum Institutum saeculare se exhiberet, S. C. de Religiosis censuit memoratum Institutum *Laudis Decreto* decorari posse. S. P. Pius XII, in Audientia diei 12 iulii a. 1948 decisionem S. C. de Religiosis ratam habuit et confirmavit. Tandem *Institutum Missionarum Regalitis* definitive et in perpetuum approbatum est decreto S. C. de Religiosis, die 3 augusti a. 1953.

Instituti Missionarum Regalitis D.N.J.C. propositum hoc est: animas quasi in unum congregare ac sociare mulierum quae, quamvis in saeculo vivant, atque suae quaeque professioni deditae sint, ad christianam tamen perfectionem summopere contendunt, atque Deo consiliisque evangelicis devotae, ex ipsis sanctitatis fontibus sui apostolatus vires suscipere atque quasi haurire volunt. Duo ergo Instituti praecipui fines, quorum alter est sodalium consociatarum sanctificatio per evangelicae perfectionis praxim; alter apostolatus ardor ad nova opera condenda, vel ea quae iam condita sunt promovenda, ad mentem tamen Apostolicae Sedis

atque Episcoporum, quos Deus constituit ut Ecclesiam suam regant ac moderentur.

Institutum totis viribus suis, salva semper tamen interna tum Instituti cum aliorum operum in quibus sodales laborant, disciplina, cooperationem praebet: Actioni Catholicae cui Missionariae Regalitis omnes adhaerere debent atque ita in ea operari ut quam maxime inter mulieres diffundatur ac promoveatur; Operibus Pontificiis et Dioecesanis, prout ab eorum praepositis sibi indicabitur atque petetur; aliisque apostolatus operibus.

Praecipua ac peculiaris Instituti ratio spiritualis in franciscano spiritu posita est.

BIBLIOGRAPHIA: *CpR.*, vol. XXXIV (1955), pag. 197-198.

6. FILIAE REGINAE APOSTOLORUM (F. R. A.)

Institutum F.R.A. conditum est a Comitissa HELENA A PERSICO (n. 17 iulii a. 1869, m. 28 iunii a. 1948). Dum a. 1910 exercitiis spiritualibus vacaret, clare, instanter et non absque divina illustratione perspexit indigentiam animarum et urgentiam seu necessitatem alicuius feminarum institutionis, quae eiusdem sociis firmiter, mediantibus votis religionis, Deo innixis, contulisset maximam libertatem et possibilitatem diversa apostolatus opera, iuxta temporum exigentias, exercendi (« *Dare delle consacrare alle opere* », erat dictum Fundatricis).

Sed pia femina, consiliis directoris spiritualis obsecundans, sub modio celavit ac servavit propositum, quin tamen illud desereret. Interea aliis activitatibus apostolatus catholici operam dedit.

Anno 1918 ab eodem directori spirituali licentiam obtinuit ut propria desideria et consilia conferre possit cum aliis animabus quae eodem spiritu ducerentur, et, Deo favente, primus coetus F.R.A. constitutus est Venetiis die 8 decembris a. 1921. Institutum forma tantum privata, sed mira vi et constitutione interna, indesinenter evolvi et propagari perrexit per plurimas Italiae dioeceses usque dum ab Archiepiscopo Tridentino erectum est in Pium Sodalitium decreto diei 19 martii a. 1931.

Sed cum figura Pii Sodalitii minus apta censeretur aut inveniretur evolutioni et constitutioni Instituti, F.R.A. S. C. de Religiosis adierunt, expostulantes ut Pium Sodalitium ad Congregationem religiosam eveheretur. Negotium tamen nondum definitivam solutionem acceperat cum Const. Apost. « Provida M. E. » promulgata est. Tunc F.R.A. perspexerunt figuram et constitutionem Institutum saecularium optime convenire

earum Sodalitio. Expletis ergo omnibus quae iure requiruntur, imprimis S. C. de Religiosis, die 22 decembris 1947 « nihil obstat » concessit ut F.R.A. in Institutum saeculare iuris dioecesani constituerentur, quod evenit decreto Archiepiscopi Tridentini, die 1 ianuarii a. 1948. Postea eadem S. Congregatio subsequentibus annis, nempe: a. 1951, die 1 novembris, *Decreto Laudis* Institutum F.R.A. decoravit et a. 1954, die 8 decembris, approbatione definitiva ipsum sancivit.

Institutum F.R.A. prosequitur filialem Dei glorificationem consecratione sociarum et apostolatu iuxta temporum necessitates. Apostolatus praeterquam professione consiliorum evangelicorum, ad normam Const. « Provida M. E. », exercetur oratione, exemplo, actione et singulariter sacrificio individuali. F.R.A. sese offerunt in holocaustum pro Ecclesia Catholica, pro sacerdotio catholico et pro animabus Deo consecratis et sese exercent quibuslibet operibus quae ad bonum Ecclesiae et animarum salutem inservire possunt.

BIBLIOGRAPHIA: *CpR.*, vol. XXXIV (1955), pag. 199.

N. GIL, C.M.F.

(*Prosequar*)